

2 Cor. III. 17. ad quem cum sese convertere noluerint, *servitute* premantur dura necesse est, *cujus velamen* solet esse imago & insigne; subjectionis sane indicium *velum esse*, ex Apost. satis clare liquet, cum 1 Cor. XI. eo fine mulierem velit *tecto* incedere capite; imo comam promissam mulieribus *velamen* esse datam; num vero Apost. ibidem ψ. 10. *velum* nuncupet ἐξουσίαν, *potestatem*, ut res signata sit pro signo, altioris est indaginis res: si vera esset opinio, ut est vetustissima (nam Irenæus *a*, omissa vel non lecta ἐξουσίας voce, simpliciter habet κάλυμμα) non inepte hic cogitasse Doctos existimarim de Heb. דָּוָד, quæ vox tum *dominium*, tum *velum* denotat; sed quid? si per *potestatem habere in capite* significetur quid, quod dominetur capiti; in mulieris autem caput imperium quasi exercet *velamen* capiti impositum, sed vere *auctoritas* viri, *cujus symbolum* est illa *veli potestas* in mulierem; sed hæc in præsentia sufficiant: addo locum, circa quem studia sese itidem scindunt, Gen. XX. 16; quem ex mea opinione sic verterem & interpretarer: *Saræ dixit* (Abimelech) *ecce dedi Fratri tuo* (ut præ te tulisti, vere *marito*) *sit Tibi tegumentum oculorum vel faciei*, (scilicet: ematur ex ea pecunia *velum*) *omnibus, qui tecum versantur; & apud omnes alios, תוכח & demonstraberis*, nec dubium erit amplius, si sine virgo vel nupta. Addo eandem ob rationem in sacris celebrandis *velatum* passim gessisse caput Veteres: ut de Hebræis D. Lightfoot *b* demonstrat; suntque exempla in Scriptura *velatæ faciei reverentiæ* ergo, ut in Mose *c* & Elia *d*; Romanis ab Æneæ temporibus eundem fuisse morem in vulgus itidem notum est; Æneæ institutum tradit Virgile *e*, et si inde derivet, *ne inter religionem sese aliquid vagis offerret obtutibus*, quod *sacra turbet*, ut Servius ibidem quoque observat; & alibi *f* Plutarch, qui & hanc addit rationem, illos *Deos velato capite adorare* ταπεινῶντας ἑαυτὰς τῇ ἐπικρίψει τῆς κεφαλῆς *demitentes seipso obvelatione capitis*: possem ex Plauto *g* similia proferre, qui *velatis manibus orare* etiam habet *h*. Græcos

B b 3

aper-

*a* Lib. I. c. 8. p. 37. ed. Mass. *b* Ad 1 Cor. XI. 4. *c* Exod. III. 6. *d* 1 Reg. XIX. 13. *e* Æn. L. III. vers. 105. *f* Quæst. Rom. p. 266. *g* Amphitr. act. V. sc. I. vers. 42. *h* Ibidem. act. I. sc. I. vers. 100.